31009-3
£750

Chicago Botanic Garden
Library

Arbuſtum.

FONTICVLVS. SPINETVM.

Τὸ ῥόδον ἀκμάζει βαιὸν χρόνον, ἢν δὲ παρέλθῃ,

Ζητῶν εὑρήσεις οὐ ῥόδον ἀλλὰ βάτον.

Πάντων δυσχερέστατον τὸ πᾶσιν ἀρέσκειν.

PARISIIS,

Apud Franciſcum Stephanum,

1542.

Caroli Stephani

ARBVSTVM.

Absoluto Seminario, venit in mentem nobis, vt huic Arbustum subnecteremus: in quo reliquas arbores à fructiferis, quę post hortos vnà conseri solent, simul explicabimus, interea dum syluam adornare vacabit per otium. Nam id iure quodam consequi existimamus, vt post hortos, fructiferarum arborum seminaria quotidie videantur: quæ etiam ijsdem mœnibus, atque adeo sæpibus inclusa sunt, & in hortorum appellatione, quemadmodum & tota domus, facile venire solent. Fructiferas autem arbores proprio quodam vocabulo appellato, quæ fructuum colligendorum, & deliciarum gratia conseruntur: vt ex hortis, & flores, & condimentarias ac iuscularias herbas: ex seminarijs, delicatos & educandæ familiæ peculiares fructus colligamus: cuiusmodi sunt malorum omnium genera: item etiam cerasiorum, ficuum, & huiusmodi fructuum: vnde ea quidem seminaria dicta pomaria, ceraseta, ficeta. Proinde, ab iis seminariis, solent esse quædam irrigua loca, permultis arboribus oblectationis potius quàm alterius vtilitatis gratia cōsita: quæ nos arbusta vocabimus, quanquam & Arbustum (vt initio Seminarij docuimus) aliud præterea significet.

Quin & præter aquarum commoditatem, quibus horti & parata erãt apud antiquos in opimis fundis irrigua, solebant etiam vites haud longe à prędijs & ædibus rusticis conseri. Itaq; permultę quoque arbores illuc erant consitæ: ad quas vites alligabant & disponebant antiqui eo more, quo in vineto docuimus. Non erit igitur præter rem & institutum nostrum, de ijs arboribus post seminariũ dicere, antè quàm pratum aut vinetum disponamus. Nam eæ sanè de quibus mox acturi sumus, in syluam cadere non possunt: sunt enim ferè omnes irriguæ, & in aquosis ac priuatis & domesticis locis præcipue succrescũt, in vsum atque oblectationem domesticam: cuiusmodi sunt vlmus, salix, platanus, populus, & id genus aliæ, de quibus mox est nobis agendum.

ARBVSTVM igitur hoc loco cũ antiquis rei rusticæ scriptoribus, dicemus locum arboribus vitiferis (sic enim loquitur Palladius) consitũ per ordines: in quo vites ipsis quidem arboribus sesquipedis spatio distantes applicabant, ne arboris incremento opprimerentur, si minus haberent spatium: caueis etiam muniebãt aduersus pecoris appetentis iniurias. Quin & frumẽtum interserebãt, atque ita vitibus & segetibus indulgebatur, relictis quadragenis pedibus inter arbores ad frumẽtum serendum: siquidem lætus, amplus & opimus erat ager: in exili enim agro, tantum vicenos pedes relinquebant. Quas autem arbores appellat Palladius vitiferas, eæ certe sunt à nobis hoc loco

deſcribendæ:nẽpe ſalix,vlmus,opulus,& cęterę id genus,quas ꝑfecto inter fructiferas,& eas quas in Seminario deſcripſimus,nõ fuit ęquũ interſerere.

Arbuſtum Italicũ appellat Columella id quod ſuperius docuimus:cuiuſmodi hodie paſſim in Italia videtur : quod etiam multa diligentia putatur & excolitur ad arbuſtiuarum vitium ſuſtentacula & nutrimenta. Vnde arbuſtare vocabulum deductum,quo ſignificabant antiqui agrum arboribus conſerere ad maritandas vites.

Arbuſtum Gallicum humilioribus arboribus conſitum erat: neque iis quidem admodum frondoſis , vt facilius vitis ab arbore ad arborem traduceretur:quos traduces,quia Galli (vt Varro refert)rumpos appellabant: hinc certe conijcio huiuſmodi arbuſta Gallica , rumpotina & rumpotineta appellata.Nam ferè ita conſtitutum rumpotinetum animaduerti(inquit Columella lib.5.cap. 7.)vt ad octo pedes,locis ſiccis & cliuoſis: ad duodecim, locis planis & vliginoſis tabulata diſponãtur. Plerunque autem arbor in tres ramos diuiditur,quibus ſingulis ab vtraque parte cõplura brachia ſummittũtur,tum omnes penè virgæ,ne vmbrent eo tempore,quo vitis putatur,abraduntur.

In noſtro igitur hoc Arbuſto , & ſalictum , & vlmarium & lauretum ac myrtetum , item etiam populetum complectemur : vt vno atque eodem loco variarum arborum ſeminaria contineantur: poſt hæc autem Vinetum ſubiungemus.

Salictum.

Salictum appellabimus locum salicibus consitum, vtilitatis gratia. nempe ad vimina vel perticas colligendas, quibus ad multa rei familiaris atque adeò rusticę negotia vti possim9: nullius enim tutior reditus, minorísve impendij, aut tempestatis securior. Vulgus nostum vocat *une saulsaye*. Estque is locus potissimum riguus aliquo amne: amat enim hæc arbor imprimis huiuscemodi *loca*: & in aquosis sata quamoptime germinat: sed lætissime & celeriter ex auulsione quod vulgus nostrum vocat *de fiche*: deponitur enim commode cacuminibus vel taleis, & spatia laxiora desyderat, per quinnum pedum interordinia, quẽadmodum in quincuncis explicatione docuimus. Huiusmodi quincunces salictarios videas elegantissime dispositos in cœnobio diui Victoris extra muros Parisinos. Nonnunquam etiam salix (inquit Columella lib. 5. cap. 7) in arbusto Gallico à plerisque ad vinearum vsum disponitur: sed nisi in aquosis locis, vbi aliæ arbores difficulter comprehendunt, ponenda non est, quia vini saporẽ infestat. Nunc ad arboris descriptionem & genera veniendum.

SALIX, Gręcis itea, vulgo *saulx*, ita dicta (inquit Festus) ꝙ saliat, surgátque cito: ὀλεσίκαρπος ab Homero appellata, quòd ocyssime semen amittat, antequam omnino maturitatem sentiat. Cæ-

terum quod ad eius deſcriptionem attinet,contorto & breui caudice aſſurgit,ramis longis,è trunco extremo,velut de capite prodeuntibus, lentis,flexilibus:foliis longis,ſubtus incanis,ſupernè virentibus, flore ſeu nucamento ſquamatim compactili,lanuginoſo,propendente: fructu qui facile ante maturitatem euaneſcat.

Salicum plura genera tum apud nos,tum etiam apud antiquos authores inuenio,ſolo vſu,vel etiã magnitudine, & corticis forma inter ſe diſcreta. Quædam enim ſalix in proceritatem magnam emittit iugis vinearum perticas, paritque balteo corticis vincula . Ea eſt quam antiqui ruſtici , ob id,perticalem vel perticariam appellarunt: Theophraſtus candidam vocauit è re ipſa.

Alia eſt ſalix, ſequacis ad vinctũ lentitiæ virgas ferens,à Plinio Gallica appellata, à Theophraſto ſalix nigra : quòd ſit nigro aut puniceo cortice. Vulgus noſtrum vocat *du burſauli.*

Græca porrò, quæ dicitur ſalix Plinio & Columellæ,ſatis eſt ea quidem humilis,& rubenti materia,qua pręcipue ad vimina vtimur:vnde etiam ſalix viminalis appellata,ab ipſo vſu .Vulgus noſtrum vocat *de l'oſier.*

Sabina vero,quam etiam amerinam ſalicem vocarunt authores , candidior eſt ſuperiore , & ad vitellinum colorem (vel luteum , ſi mauis) potius tendens : coactæ eſt breuitatis , ſponte naturæ pumila : virgas fert quæ detracto cortice,leni ſunt admodũ tractatu, quibus vtimur ad corbes,

ciſtulas,& vaſa, quæ ob id viminalia appellantur. Ea eſt ſalix quam vulgus noſtrum vocat *franc oſier:* Gallia Lugdunenſis *ambre.*

Salicem præterea amerinā Dioſcorides à Latinis vocari exiſtimat, quam nos viticem, Græci agnon & lygon. Vulgus pharmacopolarum corrupte agnum caſtum appellat, vtraque voce idem ſignificante. Cuius arboris aut fruticis tanta eſt cum ſalice amerina foliorum & virgarum ſimilitudo, vt non ab re eam pro ipſa ſalice vſurparit Dioſcorides. Itaque de vitice hoc loco dicendum, quemadmodum in Vineto ſumus polliciti.

VITEX Latinis dictus, quoniam habet ſurculos ligandis rebus idoneos, haud ſecus ac ſalix viminalis & amerina: Agnos Græcis dicitur, quòd (authore Galeno) caſtitatem conſeruet ijs quibus eſtur aut bibitur: vel quoniam matronæ in Theſmophorijs Athenienſium caſtitati ſtudentes (inquit Dioſcorides) eius folijs lectos ſibi ſternerent: Lygon etiam Græcis appellatur, propter ſurculorum firmitatem.

Viticis duo genera: Maior, qui vitex albus dicitur, arboreſcitque ſalicis modo, & eadem habet folia: niſi quòd perpetuo virent, & grauiorem ſpirant odorem: ramis frangi contumacibus: flore ex purpura candido, piperis ſemine: vnde quibuſdam piper agreſte appellatum ſcribit Dioſcorides. Minor, qui & niger vitex appellatur, ramoſior eſt: foliis candidioribus & lanuginoſis, flore purpureo: vterque circa flumina naſcitur.

Salix equina (ne id etiam prætermittamus) Latinis appellata, pratensis herba, quam Græci hippurim, Romani equisetum, vel caudam equinam, à forma appellarunt, de qua in prato vberius dicemus.

Salicastrum, herba à salice nomen trahēs, quòd in salictis frequentissima sit: quam herbam recentiores (inquit Ruellius) flammam vocauere: folio est duro, cinericei coloris, viticulis callosis, rubentibus, qualiter flos quem flammam Iouis appellamus: in violis fert semen acinorum mali punici simile. Atque hæc tantum diximus, ne quid omisisse videremur eorū, quæ ad salicis cognitionē attinēt.

Sed antequam à Salicto ad vlmarium transeamus, libet hîc paulisper animi causa digredi, & in adulescentulorum nostrorum fauorem (quando hîc de salice sermo habitus est) versus quosdam proferre, mea sententia, ingeniosissime & admodum erudite conscriptos, de salicis arboris in nympham eiusdem nominis trāsformatione, quos ex Italia nuper attulimus. Eos vero descripsit iuuenis quidam Italus spectatæ indolis, & ingenii, pro ætate admodū acris: vt vel omnium iudicio ad poëma natus facile existimari debeat. dignos autem existimo qui legantur, neque memoria paulo negligentiori aliquando intereant.

Metamorphosis

SALICIS NYMPHAE, IN arborem ſui nominis.

Forte ſub intonſæ conſederat Ilicis umbra
Flaua ſalix, caſtæ comitum pars fida Dianæ:
Implebatq; ſinus Zephyris, nexuq; ſoluto
Errabant nitidi per eburnea colla capilli.
Qua pater aurifera redimitus tempora Cytro
Verberat ingenti Benacus littora planctu.
Dum ſedet, oblitam dominæ Fauniq; procacis
Florilegæ tenuiſtis apes, uolucreſq; canoræ,
Et quæ proceras mulcebant flamina quercus.
Propter aquæ riuum ſomno iamque illa grauatum
In pharetram, & laxos caput inclinauerat arcus.
Ante pedes lapſum fronti crinale iacebat,
Et iaculum, Triuiæ magnum ac memorabile munus.
Viderat hanc (ut erat dulci reſoluta ſopore)
Forte ſenex Proteus, latiatas æquore cauteis
Dum colit, & captos adducit arundine piſces,
Stans celſo in ſcopulo. Viſa ſtupet ille, ſiletq;
Improbus: atque atrum flagranti corde uenenum
Concipit, & cæcum totis bibit oſſibus ignem.
Conatuſq; diu flammas inhibere, ter altis
Se luſtrauit aquis, ter carmina dixit. At illum
Humida uentoſi riſerunt numina ponti.
Iamque ſuas artes, nodoſaq; lina peroſus

Cæruleas damnabat opes, centumq; sorores
Post salicem posuisse ferunt. Ergo ille trementi
Luctantiq; ferox, & inania bella mouenti
Vim tulit. At cæsis uirgo Saloina lacertis
Impleuit plangore nemus, latosq; per agros
Haud intermissas fudit miseranda querelas.
Non illi uolucres urgere in retia ceruos
Cura, nec in latos leporem deducere casseis
Amplius, aut timidos calamo transfigere damas,
Nec rapidis uacuos canibus circundare syluis.
Sed latet, & scabro laqueata cubilia tofo
Incolit, & longo domus est spelunca recessu:
Qua nitidos colles, subiectaq; collibus arua
Spectat oliuiferos quassans Tauareda capillos.
Heic modo crudeles somnos, modo flamina dicit
Impia, nunc sortem delamentatur iniquam:
Noctes atque dies passis incompta capillis.
Sæpe iam Dryades frustra lenire iacentem
Tentauere. Quid hos dixerunt chara dolores
Perpeteris Nymphe? quid fies mœstissima uirgo?
Virginis ad nomen, suspiria traxit ab imo
Corde salix: silet illa tamen, nec prodere cæcas
Sustinet insidias: tumidi sed pondera uentris
Celat, & interdum læsi dat signa pudoris.
Tumq; oculos uix tollit humo, nunc pingitur ostro
Puniceas incensa genas, nunc flebilis hæret
Pallidior buxo: Qualis Pallantias ortu
Cum rubet, & subita tegitur caligine mœrens
Memnonis admonitu. Iam sol altissimus axe
Fecerat exiguas spatiis æqualibus umbras:

Ecce tumens spolijs, atque oblita cæde ferarum
Antra subit syluis Hecate lassata sub altis:
Antra, hedera, & uarijs labrusce sparsa racemis.
Intus aquæ uiridiq; obsessa sedilia musco.
Ante fores uiolæ surgunt, flentesq; hyacinthi,
Et rosa sydonios referens pudibunda colores:
Thymbraq;, & intactas uictura ligustra pruinas:
Et cum flammeolis canentia lilia calthis,
Puniceiq; croci, grato quos murmure labens
Riuus, & attritos uersans alit unda lapillos.
Non latices illic, nitidi non uda profundi
Lanigeræ turbastis oues: saltúue proteruo
Indomiti ripis infestauere iuuenci:
Non fera, non imis serpens educta cauernis,
Nec quum se pastæ referunt de monte capellæ.
Sæpe tamen Dryades fessos uenatibus artus
Fonte lauant, taloq; tenus contingere gaudent.
Quò simul intrauit, trepidantem ac multa trementem,
Tergaq; iam dantem uidit Latonia Nympham:
Vidit, & exarsit, pharetramq; arcusq; retentos
Corripuisse ferunt. At uirgo concita cursu
Transuolat arua, fuga rapido uelocior Euro:
Donec arenosum uitrei Melonis ad amnem
Peruenit. Hic iunci steriles, hic candida circùm
Populus, & pigram uelabat canna paludem.
Et cum caricibus limo quod creuit acutis
Molle siler, calamiq; leues, ulmiq; uirentes:
Substitit hic lachrymans, sparsosq; à fronte capillos
Reijcit in tergum, pleno singultibus ore:
Pallidulo tales effundens pectore uoces:

Di, ſiqua eſt uſquam pietas: ſi conſcia ueri
Numina, deceptas ſpectant ſine fraude puellas,
Eripite hanc animam miſeræ, & ſuprema roganti
Munera ferte. Atque ò finiſſem morte dolores,
Cum mea uirginitas erat illibata: libenter
Nam potui tum caſta mori. Teſtor tamen omnes
Aegra deos, ſanctum contra mea uota pudorem
In uentos abiiſſe leues. Si mentior, in me
Vertat inexhauſtas iaculatrix diua pharetras.
Audiit hæc Phœbe, celereſq; morata ſagittas,
Arbor eris, dixit, ſed quæ nec poma, nec ullas
Diuitias domino præter fera uincla miniſtres:
Nec tu militibus, nec tu clamata theatris
Publica ſerta feres: nec te dignabitur inter
Alticomas quercus, aut coniferas cypariſſos
Sede nemus: nigra nec nubilus Ilice lucus.
Sed procul extremis ignota iacebis in aruis,
Perq; lacus patulos, obliquaq; flumina paſſim
Fœda tibi querulæ facient conuitia ranæ.
Sic tua dum graciles carpent uirgulta capellæ,
Tityrus innitens baculo ſylueſtris oliuæ,
Multifora uetitas narrabit arundine flammas:
Flauenteſq; comas, tibi quæ nocuere placendo,
Ruſticus incurua deponet falce quotannis:
Contemnetq; tuos imo de gurgite uultus
Paſtor ad obſcœnas iuuenilior ille rapinas,
Semper & iniuſti fæx uulgatiſſima regni:
Atque aliquis pictos nodoſo in robore qualos
Fronde tua texens, aut candidulos calathiſcos
Raſilibus uirgis: o quantum flexilis iſta

Nympha fuit, dicet: tunc te culpabit, & inter
Fabula fœmineas diceris longa cohortes:
Vrgebitque tuam, dum uentilat ordea uannum,
Testilis, & genibus feriet caua texta malignis.
Mox simul obliquam terris ostenderit urnam
Tros puer, atque uias pluuius fœdauerit Auster,
Te uulgus calcabit iners: te fœmina uirque
Induet: & soleis plangetur terra salignis.
Desierat Dictymra loqui, quum territa uirgo
Ter conata solo teneras diuellere plantas,
Mollia ter niueis percussit pectora palmis.
Dúmque pedes subita queritur radice teneri,
Pes ubi sit quærit, digitique, unguésque, cutísque:
Iam teretes suræ, iam candida crura, sinúsque,
Rugoso sensim cœperunt cortice claudi:
Brachiáque ad cælum quæ forte tetenderat, altos
Induit in ramos: restabant ora, comæque.
Quid facis? (exclamat) Latonia parce, nec uno
Funere perde duos, uteri miserere, nec ultra
Iram tende tuam. sic me periisse iuuabit?
Parce precor. Clamabat adhuc, clamantia cortex
Occupat ora recens: & uox in stipite raucum
Vltima murmur erat. Latebrosa quale sub alueo
Pumicibúsque cauis Sicula exauditur in Hybla,
Horrida quum uario saturatas flore cateruas
Clausit hyems tectis. Crocei iam uertice crines
In longas abeunt frondes, quæ nunc quoque (mirùm)
Corpora mutatæ uelant pudibunda puellæ.
Sed postquam teneras absumpsit cura medullas,
Cura uigil, querulúsque dolor, sæuíque labores,

Arentis nodi traxerunt ossa figuram:
Próque noua mollis creuit lanugine muscus.
Pallor inest foliis, scires timuisse, uicémque
Sanguinis in lenta gelidus perit arbore succus:
Quæ, memor antiquæ cladis, crescentia matrum
Semina, seminibus fertur temerare profanis.
Hinc iuga montiuagæ nimium dilecta Dianæ
Odit: & inuisos plebi ne perferat ignes,
Gaudet aquis, umbrísque, & opacæ frigore uallis.
Néue parum cautis desint exempla Napæis,
Iudicium luctus, foliis nouus hæsit amaror.
At puerum, Nymphæ, postquam Lucina dolenti
Affuit, obscuris enutriuere sub antris.
Signa tamen partus, ueterísque infamia facti
Durat adhuc, uteróque manet despecta capaci,
Quæ fuerat cunctis olim prælata puellis.

Discite hoc exemplo Virgilium imitari: non enim hi versus aut laborem in legēdo vestrum, aut libelli pretium multum augere poterunt: neque vero paruula hęc digressio hîc à me facta fuisset, nisi valde timuissem, ne versus hi, qui mihi profecto visi sunt elegantes & iucundi: interijssent. Veniamus ad vlmarium.

Vlmarium.

VLMARIVM, vitiū præcipue causa, veteres facere solebāt. nam huiusmodi arboribus imprimis gaudēt vites, quibus etiā eleganti quodā coniugio

hodie apud Italos maritãtur. Vnde Columella lib. 5. cap. 6. Vlmarij faciendi rationem longo sermone recensuit, & quo pacto prima quæque arbor senio aut tempestate afflicta summouenda est, & in eius vicem nouella soboles substituenda in vlmorũ seminarijs quæ vulgus nostrũ vocat *ormaye*. Itaque de vlmorum differentijs ac generibus dicendum.

VLMVS, Græcis ptelæa, Gallis *orme*, procera est arbor, folio indiuiduo, lente crenato, scabro, oblongiore quàm pyri: materie flaua, robusta, neruata, deformi: semen ei racemosum, quod samara Latinis dicitur. In foliolis & petiolis, gummi producit, item etiam quoddam animalculorum genus quod cnipes vocant.

DVPLICEM vlmum fecit Theophrastus montanam, quam oripteleam nominat: & campestrem, quæ fruticosior est: folio indiuiduo, leniter per orã serrato. vulgus nostrum hanc fruticosam vlmum vocat *ormeau*.

Gallicam & item vernaculam vlmum Columella facit. Gallica, ea est quæ & Attinia dicitur, & marita vlmus: quòd vitibus sit commodissima. Generosissima hęc est & lętissima, multámque frõdem ministrat, & rarissimũ semen creat: atque ob id sterilis plerisque iudicatur. seminibus inter frõdem, quam prima edit germinatione, latentibus: nascitur tantũ scopis. Inter Attinias vlmos Plinius siccanas laudat, quæ excelsissimę sunt & nõ riguę.

Vernacula vlmus ea est quæ & nostrâs & Italica dicitur, diuisiore folio, & ab eodem pediculo

numerosiore, iucundissimum pabulum bubus adfert, & frondes vitilibus vtiles: minus lętatur mōtosis, & aquis gaudet, vitem alit, eiúsque societatem commodissime patitur. Quapropter ab antiquis in eum vsum formabatur, quotannis alternis brachiis in modum scalarum relictis, vt facilius suis clauiculis, veluti manibus quibusdam, ipsam complecteretur, & sursum ascenderet. Dicamus iam de populis.

Populetum.

Populetum vlmario subiungemus, quando hæc etiam arbor (præsertim nigra) vitibus maxime est amica: quapropter (inquit antiquus agricola) vinearum causa, post hortos serebatur, bipedaneo pastinatu, talea sesquipedali, biduo siccata, semipedis interuallo, terra superiecta duorum cubitorū crassitudine. hæc enim arbor, vitibus admodum placet. Itaque antequam ad Vinetum accedamus, de ea primùm est dicendum.

POPVLVS arbor duplex, quarū altera nobis frequens, & satis nota, nempe alba: altera, vtpote quæ nigra dicitur, plurimum rara, & ægrè apud nos crescens. Cæterum dictam populum quidam putant à foliorum multitudine.

ALBA siue candida populus, Græcis λεύκη appellata, ob id (inquit Pausanias) quòd Hercules in descensu ad inferos apud Acherontem fluuium

eam vidisset, ramúmque eius rediens extulisset, itaque etiam Herculi dicatam ferunt. Certe ob id dictam putauerim, quòd eius folia superne candicent. Vulgus nostrũ tremulam appellat *du tremble*: quòd eius arboris foliorum pediculus sit maxime tremulus, vt ipsa etiam folia, vel leuissimo spiritu agitata, inter se plurimum crepitent. Arbor campestris, aquarum auida, caudice procero, erectóque consurgit: ligno intus albo, lento, scutis faciendis aptissimo, læui & carnoso cortice, folijs tremulis, numerosioribus, in iuuenta circinnatis, in senecta angulosis, superne candicantibus & lanuginosis, inferne herbaceis: frondes scopis tãtum vtiles: nunquam floret: fert tamẽ vuas, brya vocatas: ex quibus (verno potissimum tempore, cum plurimum grauis est, prægnánsque resina) cõficitur vnguentum populneum, ægirynon Græcis appellatum. Nostri tamen etiam ex ipsis folijs id componunt, atque aiunt phlegmonas refrigerare: quo etiam mammis puerperarum illito, matronæ & obstetrices vtuntur ad fugandam lactis abundantiam, quæ statim à partu erumpit: id autem, sua barbarie appellant *du pampelion*: cuius vsum damnatum & errorem ostensum videbis apud Menardum.

NIGRA populus, in quam Phaetontis sorores mutatas aiunt, Græcis *αἴγειρος* dicta: nobis infrequens: circa Padum Italiæ fluuium plurima: multo altior & robustior est quàm alba: fronde angustiori, scabriore cortice: in totum strigosior, folium gerit vtraque parte herbaceum, atque ita la-

nuginosum ac numerosum : *qua ratione* vitibus magis amica creditur. Sua enim lanugine vuas inficere non potest: præterea minimã vmbram præstat, propter tremulam foliorum facultatem. In hanc, vetustate albam populum degenerare credunt. Ego tamen aliud esse genus existimarim. Humorem resinosum è cauis emittit, quem, veluti lachrymam quandam, in Eridanum destillantem, aiunt in electrum coire : hoc est succinum, quod Chrysophoron appellant. vulgus nostrum vocat *de l'ambre.* Id attritum, iucundissimum spirat odorem, colore auri æmulo. Cæterum populus nigra, fert in folijs guttam ex qua apes propolim suam faciunt. Fructum nullum parit : quanquam in Creta sint qui nigram populum fructum emittere contendant.

Tertium ab his genus Theophrastus facit eius quam Alpinam, nonnulli Libycam cognominant. supradictarum altitudine, cortice pyri syluestris scabro: ramis candicantibus: folio hæderæ: hincinde exaturato virore nigro, sed parte vna hebete, altera angulosa: pediculo tenui, oblongo: colore parte supina pronáque feré consimili. Ea est certe, quæ nigra populus iure dici debet, folio nigerrimo, fungisque enascentibus laudatissima. Tu videto lector, quid ex his sentias: liberum enim tibi semper esse voluimus in rebus controuersis iudicium.

Dicemus hoc loco etiã de opulo arbore, quãdo & populo est affinis, & eam videtur quidam agri-

culturæ ſcriptor cum ipſa populo confudiſſe, cum tamen ſit ab hac longe diuerſa.

OPVLVS quoque eſt vitibus amica arbor, & aquoſis gaudens, vt eam vites præſertim arbuſtiuas alere ab antiquis ſcriptum reperias. Si arbuſtum (inquit Columella) ex opulo vitibus quis cõſtituere volet, ante annum quàm deponat arborem, ſcrobes faciat quatuor pedum quoquouerſus: deinde circa Calendas Martias, in eandem ſcrobem opulum & vlmum configat: vt ſi opulus defecerit, vlmus locum obtineat: ſi autem vtraque vixerit, altera eximatur, & alio loco pangatur. Cæterum opulus vulgo apud nos obierus vel opierus dicitur. Vlmi proceritate adoleſcit, caudice recto, enodi, rarioribus ramis brachiato, frondibus ferè vitigineis, baccis racematim dependentibus, prima pubertate viridibus, à maturitate puniceis. Hæc tantùm de opulo.

Lauretum.

Lauretum iure optimo hoc ordine diſponem⁹, quandò antiquis idoneam fuiſſe laurum ſcribit Diophanes viuis ſepibus, quæ vitiarium ambiãt: vnde Romanis eugenia appellata, hoc eſt illuſtris.

LAVRVS, vulgo *laurier*, Græcis daphne: quòd inter vrendum ſonum elidat, quaſi daophone (inquit Ruellius ex Theocrito) vel à formoſiſſima Ladonis filia quam Apollo perſequens ob amo-

rem,in laurum à Tellure matre conuersam, gentili virginis nomine appellauit, eiúsque arboris ramum auulsum capiti circumposuit, quod inde diuinationis signum fuisse tradunt fabulæ. Arbor est læui cortice ac tenui vestita: spargit radices obliquas,inæquales, quæ suapte natura non recto tramite progrediantur:perpetua viret coma,caudice procero,pingui succo scatēte,nodis perquam paucis. Sterilem appellant laurum,quā alij marem vocant,baccifera est admodum,quæ fœcunda & fœmina laurus dicitur,carnémque in nucleo cōceptam ostendit in baccis.

Variæ sunt lauri arboris ac fruticis species apud antiquos, quæ tamen minus late patent, sed solo vocū,aut minimo figuræ discrimine cognoscūtur.

Delphica laurus dicta, quæ (vt inquit Helianus) è Thessalia Delphos primum translata est ab ipsis Tempe, tum cum Apollo draconem sagittis cōfodit: vel ob hoc delphica appellata,quòd ea victores delphis coronari solerent. Eādem Lactantius grammaticus tripodem quoque vocari dicit,à ternis,quas habet,radicibus: aut quòd Apollini dicata sit, propter triplicem diuinationis vim,præteritorum, præsentium, futurorum. Arbor est æquali colore foliorum,viridior, maximis baccis,è viridi rubentibus.

Triumphalem laurum Augustus Cæsar appellauit:qua triumphantes coronari primùm Romæ cœperunt, reiecta delphica. Eam è cœlo missam eidē Cæsari perhibent historiæ,sterilē, altitudine

minima,folio criſpo:rara tamen eſt hodie inuētu.

Tenuifolia laurus, Cypria dicta,breui eſt folio,nigro,criſpo,per margines imbricato.

Latifolia,ſylueſtris laurus:tinus quibuſdā nominata: baccas fert nigras aut ceruleas, & in arborem aſſurgit: optima ad exprimendum oleum.

Regia laurus,quæ & auguſta, dicta eſt ab amplitudine tum arboris,tum etiam folij:ne quis for taſſis ab Auguſto Cęſare denominatam exiſtimet: baccas fert guſtu non aſperas.

Bacaliam laurum alteri generi aſſignant nonnulli:eámq; dicunt appellari quæ vulgatiſſima ſit, & baccarum fertiliſſima,vnde nomen habet.

Accedit in topiario opere, quæ Taxa dicitur, iucundiſſima: paruula quædam ſeu licinia in medio folio excreſcente.Eam autem arborem nō verebimur laurum Alexandrinam appellare, quòd Alexāder Macedo victor primùm huiuſmodi arboris folijs fuerit coronatus,quam alij idæam, alij hippogloſſion (à lacinia quam diximus) vocauerunt.Huiuſmodi laurum fruticoſam primùm vidimus Patauij in hortis Gaſpari à Gabrielis nobilis Patauini, & rei herbariæ ſtudioſiſſimi. Erat autem folio myrti ſylueſtris,ſed maiore: quanquā interdum minore poſtea conſpecta ſit à nobis & molliore ac cādidiore,nec rigido: altero foliolo de primoribus folijs exeunte:rubro inter folia ſemine:radice myrto ſylueſtri ꝓxima,ac molli. vulgus noſtrum eam laurum inter herbas fruticantes cōmemorat,& bislinguam vocat: quòd ex medio fo-

lio, linguam quoquomodo referente, folium aliud supernaſcatur, etiam ligulæ cuidam ſimile (vt iam diximus) ſed id intelligendum eſt fieri ijs tantum folijs, quæ fructū ferendum aut ſuſtinendum, à natura factum eſſe dixeris. Bonifaciā vulgus Italorū appellat, quòd anginæ proſit & bene faciat: folia enim huius, vino temperata huic morbo plurimum ſunt vtilia. Galenus daphnen herbam, & daphnen Alexandrinam vocat.

Spadonia laurus miram opacitatē præbet: & quantalibet ſub vmbra ſolum implere traditur.

Extra colūnas Herculis, in mari, naſcitur frutex folio laureo, qui erectus in pumicē transfiguratur.

In Nereo ſinu parte aquis extante, lapidea eſt laurus, ſimilis tamen virenti: magnitudine fruticis bipedalis. In mari quoque rubro viuere eam adfirmant.

Daphnoides herba, ſiue frutex, à folio etiam laurino nomen habet: quam eandem eupetalon Græci dixerunt. Frutice eſt ſeſquipede alto, ramoſo: ramis flexilibus, ſurſum verſus folioſis, cortice (qui virgas veſtit) glutinoſiſſimo, atque inextricabili. Folia habet lauri, molliora, valida, nec fragilia, quorum guſtatu os & fauces accendantur: flores candidi, bacca, cum ematuruit, nigra: frons fractu contumax, radix inutilis. Ea eſt quam vulgus noſtrum non omnino inepte (vt quidam putant) laureolam vocat.

Daphnitis ſiue Chamędaphne, hoc eſt humilis laurus: etſi dicatur etiā vulgo laureola, nō eadē

est tamen cum superiore: exit enim vnico ramulo, cubitali, erecto, tenui: folio laureo, itidem etiã tenui, sed multo læuiore: acinos fert rubẽtes, rotundos, folijs annexos quibus adnascantur.

Quę vero vinca peruinca Plinio nominata est, etiã si eandem cum chamædaphne esse putet: longe tamen est ab ea diuersa: hortensis enim & topiaria herba est (vt in hortulo diximus) virens in modum lineæ: foliis geniculatis circũdata, laurum quidem imitãtibus: veteribus inopiam florũ supplere solita. non autẽ attollitur, sed humi serpit, & se in modum funiculi porrigit, vicina queque vinciens, vnde illi nomẽ: florem gerit ex purpura cæruleum. vulgus nostrum appellat *de la peruence.*

FRVCTVS, aut si mauis, baccæ lauri, Græcis daphnides appellãtur: quẽadmodum cedri fructꝰ, cedrides. vulgus nostrũ vocat *grains de laurier*, quarum facultates & vires nihil attinet hoc loco longiori sermone recensere. nam in superioribus descriptionibus, satis quidem earũ forma notata est.

OLEI laurini veteres plurimum meminerũt, & id quidem maxime probarunt, quòd ex laurinis baccis fieret, hoc modo. Baccas lauri ꝓmultas maturitate turgentes in aqua calida discoquito: vbi diu efferbuerint, olei quod ex se dimiserint vndam supernatantis, pennis leuiter cogentibus, in vasa transfundito. Quidam etiã folia baccarũ corticibꝰ admiscent, alij styracem addunt, vt odoratius oleũ reddatur: medicamentosum est enim, & admodum vtile. Sed de lauris satis. Veniamus ad myrtetum.

Myrtetum.

Myrtorũ ſeminarijs, que myrteta vocata ſunt, antiqui plurimum delectabantur: tum propter vini & olei vtilitatem, quam ex myrtis accipiebant: tum quòd totum fundum ruſticum, atque adeo loca vicina odoris ſuauitate replerent: Quapropter locis poſt hortos editioribus myrteta conſerebantur vel ligno, vel ramis, vel etiam ſemine. Quin & comitem roſam adiungebant myrtis, & ordine diſponebant: partim vt fructuoſiores eminerẽt, partim vt vberiorem fructũ parerent: quod certe oblectationis & elegãtiæ gratia ab ijs fiebat potius, quàm domeſticæ rei. Vnde Martialis villam Baianam Fauſtini cum laudat libro quinto,

Baiana (inquit) noſtri villa Baſſe Fauſtini
Non otioſis ordinata myrtetis,
Viduáque platano, &c.
Sed rure vero barbaróque lætatur.

Fauſtinus enim rei domeſticæ & reditui, potius quàm delicijs dabat operam. Nam etiam apud antiquos, baccæ myrtinæ in eo vſu erant ante piperis vſum, vt libi obtinerent vicem: quodam generoſi obſonij nomine inde tracto, quod myrtatum vocabatur. Sed ad arboris deſcriptionẽ, ac genera.

MYRTVS, Grę cis myrrhine & myrſine, noſtris *du murte*, arbor eſt fruticoſi generis, oleam referens: niſi quòd ramis foliíſque eſt minoribus: an-

gusta fronde,perpetua,seriatim disposita,flore supra fructum insidente ; baccis nigris , piperis gustu,succo vinoso,stirpe inæquali & ramosa.

Myrtum multiplicem fecerunt antiqui : nempe Dioscorides,Cato,& Columella. primùm enim candidam myrtum vocant , quæ baccas candidas ferat:& nigram,quæ etiam nigras,medicinæ & vino atque oleo vtiliorem. Sed & his deinde coniugalem addit Cato, quem esse nostratem existimamus. Alia præterea genera topiarij faciunt:Tarẽtinam,folio minuto:nostratem, patulo :exoticam, densissimo, senis foliorum versibus:sed hæc nobis non est in vsu.

Myrtus syluestris , Græcis oxymyrsine , siue Chamæmyrsine , Ruscum & ruscus Latinis dicitur : officinæ bruscum corrupte vocant : vulgus *du bousson*: humilis est herba, fruticosa , folijs acutis , mucrone rigentibus , dependentibus à medio baccis, quæ per maturitatem rubescunt : osseo intus nucleo : ramulos habet cubitales,vitilium modo lentos,foliosos,fractu contumaces: radicẽ graminis,acerbã,subamaram.Fiunt ex ea scopæ apud Italos & nostros Lugdunenses, ad detergẽdam infumibulorum fuliginem.

Alterũ genus rusci nonnulli faciunt,quod proceritatem arborum æquat:folio lato,duro,per angulos aculeato, immortali virore: baccis rubentibus,racematim collectis:sed genus ęquifoliæ ilicis potius iudicarim , quemadmodum in sylua latius docebimus.

Nemoralem myrtum vulgus rusticorum vocat, quam Plinius, ni fallor, dryophonum appellauit, quasi syluæ cædem. herba est in syluis cæduis & quercetis passim nascens: tenuibus cauliculis, cubitalibus: ambientibus vtrinque folijs, quasi syluestris myrti, sed mollioribus & candidioribus: pollicari latitudine: flore albo, veluti sambuci: fructu acri, quo piperis loco rustici cibos condiunt: vnde cusini quasi culinarij ab ijs appellantur, *des cusins*: quòd iam venerint in ganeam, gratissimo ori mandentium cibo, præsertim si edomita acrimonia saccari dulcedine fuerit.

Myrtidanum appellatur Dioscoridi virgultũ myrto adnascens, nodosum, inęquale, verrucosum, concolor: quod veluti manus quædam myrti caudicem amplectitur, vnde nomen habet. Martidanum videtur appellasse Dioscorides, & myrtidanum, ipsum piper. Galenus ait myrtidanum esse myrti sobolem, quæ exiens â radice fruticat.

FRVCTVS, atque adeo bacculæ myrti satiuæ & vrbanæ, *myrtæ* & myrtides Gręcis nominãtur. hæ diutissime virentes (vt Græci produnt) seruantur vase non picato, diligenter operculato conditæ: alij cum ramulis reponere malunt ad delicias.

Myrti syluestris, siue rusci baccæ, fœtent dum recentes sunt: osseáque est in ijs duritia. magnitudine cerasum malũ æquant. Itaque cauebunt posthac nostri pharmacopolæ mauritanam factionẽ sequi, quibus fructus oxymyrsinę aut rusci, *cubebæ* vulgo, siue *combebæ* appellantur. Certe Actuarius

(quemadmodum probe collegit noster Ruellius) cubebas vocat, id granum, quod etiã Galenus carpesium nominat. Est autẽ Carpesiũ, longè alia res à rusci fructu. Carpesia enim, minuta grana sunt, odorata gustu, non absimilia radicibus herbæ quę phu nominatur. plurima in Syria proueniunt.

Ex bacca præsertim nigra, satiuæ myrti, siccata vsque ad ariditatem in vmbra, atque ita mulso indita, fiebat vinũ apud antiquos (inquit Cato) quod myrtitem appellabant, & myrtaceum: plurimúmque valere existimabant in medicina.

OLEVM quoque myrtinum siue myrtaceum fiebat apud eosdem, ex ijsdem baccis non siccatis, & continuò expressis. Id vero ad multa est vtile. Sed hæc de myrteto satis.

Platanetum.

Tantum platani descriptionem nostro Arbusto subiungemus, quandò in syluam adeo eleganter non cadit: nam vmbrę & opacitatis gratia potius conserebatur apud antiquos, quàm vt in syluis frequens esset: amat enim rigua loca, & fonticulos sibi vicinos. Quapropter Platanetum hoc loco data opera confinximus, etsi vix reperiatur: tum vt ordinem nostrum libere prosequeremur, tum etiã magis, ne id in Arbusto prætermitteremus, quod post hortos in ipsis seminarijs venustissimum & amœnissimũ esse solet. Is enim antiquis mos fuit,

in arbuſto medio , quod vepribus & dumetis circunſeptum eſſet , fonticulum ductilem adornare, quem ambiret platanus opere topiario compoſita: concamerato, vmbræ gratia, ramorum ſinu capaci: largè numeroſum verticem extendente: vt & epulari per æſtum, & cõfabulari, vel (animi cauſa) auram captare complures poſſent , omni æſtu ſecuri. Vnde Cicero dialogum de oratore , commodè exordiens , vmbram platani fonticulo riguam plurimũ laudat: circa quam, in arbuſto, ſedes erãt eleganter diſpoſitæ, & puluinis adornatæ, vt confabulantes quietius aura liberiori fruerẽtur. Admonuit (inquit) me hæc tua platanus, quæ non minus ad opacandum hunc locum patulis eſt diffuſa ramis, quàm illa, cuius vmbrã ſequutus eſt Socrates: quę mihi videtur, non tam ipſa aquula quę deſcribitur , quàm Platonis oratione creuiſſe. Certe Baſileæ memini me vidiſſe in area diuo Petro ſacra, atque adeo in medio arbuſto, elegantiſſimam & admodum patulam platanum, arte topiaria, tribus, & amplius tabulatis compoſitã: ſub qua ductilis eſſet fonticulus, grato murmure cõſidentes oblectans: atque illuc populus, per æſtum, vmbræ & oblectationis gratia confluit . excipit enim platanus illa centurias, & per æſtus vindicat à calore optantes imbrium per folia crepitus.

PLATANVS igitur , tam Græcis quàm Latinis nomen retinet, à foliorum & vmbræ latitudine. propria appellatione apud nos caret: quãquam etiam in Gallia conſpiciatur, omnibus inuiſam ar

boris speciem demirantibus, & nomen eius ac naturam ignorantibus cubitorum sexdecim proceritatem æquat:cortice crasso,fronde vitiginea: longo,rubróque pediculo:flosculo pallido:pillulis scabris,lanuginosis,minutis:viuax arbor, rigua plurimum amans,& vino irrigari gaudet.

Sunt & pumilæ platani,chamæplatani vocatæ, coactæ breuitatis : arborum enim abortus etiam inueniuntur . hæc ergo in genere pumilionum infœlicitas dicitur . Id vero genere serendi & recidendi fit , ratione inuenta sub Augusto Cæsare, quemadmodum nemora tonderentur.

Sed quemadmodum vna sententia atque adeo sermo vnus,semper alium trahit (nunquam enim deest quod dicamus) priusquam arbustum nostrũ claudatur:cõmodum est sub platano,ornatus gratia , fonticulum describere, & herbas fontibus familiares breuiter adnotare.siquidem hic locus cõmodus ad hanc rem nobis videtur. Inde vero, Arbustum dumetis & spinis (quæ viuæ appellantur) claudere conabimur.

Fonticulus.

Est (inquit Plinius) Athenis,in Lycio,platanus arbor clara,socia gelidi fontis amœnitate. Ea nos monet sententia,vt hoc loco fonticulum describamus,sub platano exiliẽtem,quemadmodum etiam in Creta insula ad Cortinnam,alia platanus fuisse

fertur, apud fontē egregij nominis: quæ folia hyeme non amitteret: sub qua à Ioue compressam Europen fabulantur indigenæ.

Itaq; fons quid sit, item etiam scaturigo, gurges, stagnū, vortex, puteus, aqua, & huiusmodi vocabula, latius explicuisse vísus est Stephan9 Doletus in libello quē conscripsit De re nauali, q̄ vt adhuc nostrā operā desyderet. Quapropter illuc adolescentuli recurrite: tot9 enim libellus elegātissime, mea sentētia, descriptus, scatet huiusmodi vocabulorū interpretationib9. Solùm hoc adiiciemus, fonticulum amœnitatis causa nos interdū latius appellare, non tantū aquā mota humo in aliquo loco emanantem, sed etiam ductā per canales ex ipso fonte, atque adeo scaturigine, in eum quē velimus locū: aut amœnitatis, aut etiam commoditatis gratia: quemadmodum in plerisque hortis quotidie fieri videmus. Hoc autem loco, profecto fonticulū appellabimus, aquam nonnunquam sua sponte, nonnunquā ob delicias effossa humo prorumpentem, haud longè tamen diffusam, & quæ vix aut nunquam in fluuios degenerat: quod fontes propria appellatione dicti facile solent. Cæterum vt rarissime circa eos fontes qui ferè semper ex rupibus, aut montium vallibus vasto gurgite atque impetu prorumpunt, vel minimam herbam videas succrescere: ita sanè circa fonticulos, quos hîc tibi depingimus, plurimas herbas conspicias, nullo prætereà loco pullulātes: de quibus nunc est nobis agēdum: harum enim gratia fonticulum instituimus.

Herbæ fontibus

ADNASCENTES.

Incipiemus à musco qui marginibus fontium & asperginosis saxis præcipue hæret:etsi iure herba dici nõ debeat,vnde muscosi fontes appellati.bryõ Græci vocant & splanchnon,nostri *mousse*.

Bryon etiam in mari vel maritimis palustribus nascitur, quod ideo bryõ thalassion Græci dicunt, hæretque saxis,pumicibus,scopulis,testisque terra cõprehensis : algam Latini vocant, Veneti *de l'arga*. Muscum certe refert, cum tamen iure muscus dici non possit : est enim herba sine dubio : haud secus atque ea que musci nomen habet : in fontibus nascens , quam hepaticam vulgus nominat , de qua mox dicemus. Crescit alga sine caule, radice quẽadmodum muscus : folio principio alio atque alio , postmodum herbido , plurimo atque pusillo, in rugas contracto,lactucam imitanti,quod vel leuissima maris agitatione supernatat:vt eius multa copia per tempestates circa ripam maris colligatur.vnde Virgilius vilem & proiectam algam prouerbialiter appellauit.

Est & bryon arborum , hoc est ceu cani arborum villi,quales in senescente quercu maxime videmus : vnde Dioscorides in cedro , quercu , populo , muscum inueniri tradit , & interdum in picea,(inquit Galenus) : vulgus nostrum eodem no-

mine appellat, quo muſcum fontium.

Eo etiam bryi vocabulo, intelligitur populi candidæ vua, circa Gnidum præcipue optima, aut Cariam, in ſitientibus aſperíſque: poſt eam fœcunda eſt, quæ in Lycia é Cedro colligitur, ad vnguenta pertinens.

Muſcus quoque in floribus id dici conſueuit, quod in quibuſdam herbis aut fruticibus viſitur, nempe veluti quædam villoſa floſculorum congeries quæ conferta ſit, denſaque floreſcat, vt in liguſtro, roſa, & huiuſmodi pluribus.

Bryon præterea, dicitur herba, quæ veluti muſcus fontium, rorulentis petris adhæret: vnico caule, folio ſingulari, lato, craſſo, ſucci pleno, iecinerum fibris ſimili, vnde iecoraria & hepatica vulgo dicta. Italis *figadella*: Græcis etiam lychen, quòd impetiginibus medeatur quas illi lychenas vocant.

NASTVRTIVM proprie acceptum, id eſt, quod vulgus noſtrum vocat *creſſon alenoys, creſſon de iardins*: de quo in hortulo noſtro fuſiſſime. aſſurgit ſeſquipedalibus coliculis, longe ſtatim ab radice, minutorum foliorum pediculo, floribus albis, ſemine per ramorum latera copioſo, firmo, caliculis orbicularibus contento, acri ſapore.

Naſturtium autem aquaticum, quod vocant officinæ, vulgus vero, *creſſon de caillay*: certe eſt antiquorum ſiſymbrium, cognomento cardamine, quaſi naſturcinum ita cognominatum, quòd naſturtium ſapore videatur imitari, id eſt quod Pli-

nius ſylueſtre ſiſymbrium appellat, atque in ri-guis naſcitur. Cuius deſcriptio ex noſtro Ruellio talis eſt: Caule proſilit cauo, ſeſquipedali,ima ſui parte,pluribus radicularum fibris ſubinde capilla-to,é cuius alarum cauis, cirri frequentes ſinuatim erumpunt,candidulo flore. Ramuli in aquis, cum inſenuerunt, etiã candicantibus capillamentis ar-ticulatim confibrantur, quæ ſeniles canos aliqua-tenus repræſentant.

Atqui SISYMBRIVM, propriẽ appellatũ ab eleganti corollarũ venere:id eſſe putauerim,quod vulgus noſtrum mẽtam aquaticam & tymbream, ſeplaſiarij balſamitã appellant.folio enim eſt mẽ-tæ,ſerrato,nigriore,& paulo rotundiore: quadra-to caule, quadamtenus purpuraſcente:floſculis in-ternodia geniculatim coronantibus, verticillato ſemper ambitu: reliqua mentam æmulatur: ſed o-dorem acriuſculum vibrat, qua dote coronis inſe-ritur æſtiuis: riguos tractus plerunque ſequitur, & fonticulos amat.

SION,quod Latini Lauer appellant,noſtri *de la berle*:in fonticulis & profluentibus aquis ſpõte na-ſcitur,frutice puſillo,habitu ſubrecto,pinguiq́ꝫ:la-tis ac luxuriãtibus folijs,oluſatro ſimilibus, mino-ribus, tantum, odoratiſq́ꝫ. de qua plura non adde-mus:ſatis enim in hortulo noſtro deſcripta eſt.

Anagallis etiã fontibus innaſci ſolet:tamẽ quia in vinetis itidem creſcit,de ea in vineto diximus.

Portulacam item aquaticam vnà cum hortenſi portulaca,in hortulo deſcripſimus.

POLYGONON fœmina, vulgo pinus aquatica dicta, latinis ſeminalis: paruus frutex eſt, vno caule arũdini ſimili aſſurgens: denſis geniculis in ſe tubarum modo farctis, tuberibus articulorum prominulis, quos folia frondibus piceæ ſimilia, in orbẽ conueſtiunt, radice ſuperuacua. naſcitur in aquoſis & fontibus: de alia autem polygono, in ſemitis agrorum dicemus.

FONTALEM herbam Latini vocarunt, quam Græci potamogeton: hoc à fluuijs, illo â fontibus deriuato nomine: folia habet betæ, ſed minora, ſuper aquam expanſa.

STRATIOTES potamios, hoc eſt fluuiatilis militaria, plerũq; etiã fonticulis ſupernatat, radice nulla, ſimilis aizo, niſi maiora haberet folia. De ſtratiote chyliophyllo in agro dicemus.

HYDROPIPERI, hoc eſt aquatile piper, ſecus fonticulos & ſtagnantes aquas, quæ pigro lapſu repunt, gignitur: vulgo *curaige* appellata: quòd ea ſi quis podicem fricet, iuxta aquas ſeceſſurus, dolorẽ maximum ſentiat & ampullas. Caulem edit geniculatum, robuſtum, multis alis concauũ: folia mentæ, maiora, candidiora, tenerioráque, guſtu piperis amaro, citra vllam odoris gratiam. Fructũ gerit in ramulis, ſecundũ folia, acrem, continenti acinorum ſerie congeſtum, vuæ modo.

De perſicaria & lyſimachio, in prato dicemus: nõ enim tã ſunt fontales, quâm pratenſes herbæ.

SILER aquaticum, vulgus vocat herbam in fonticulis interdum ſuccreſcentem, quam phel-

landrion antiquorum esse Ruellius contendit: frequens in riguis & palustribus inuenitur, apij folio, sed aliquanto maiore: caule cubitali, comoso, superne muscario: floribus luteolis, radice crassa, sublutea, capillamentis maioribus fibrata. id esse puto, quod Virgilius molle siler appellauit. De alio autem silere in sylua & colliculo dicemus.

Onobrichis circa fontes etiam nascitur lentis folia habens paulo longiora caulem semipedalis altitudinis, florem rubentẽ, radices exiguas dilutis multísque etiam locis prouenit.

TVSSILAGO Latinis dicta, quemadmodum Græcis bechion, à sedanda tussi: nascitur in amœnis, secus fontes præcipue. Ea est quam seplasiarij vngulam caballinam, Arabes farfaron, vulgus nostrum vocat *pas d'asne*, à foliorum similitudine: nam ei caballinæ vngulæ, folia emicant sena aut septena ab vna radice: maiuscula quâm hæderæ, supernè virentia, à terra subalbida, in plures angulos exeuntia: caulis palmum altus: flores lutei, quibus in vere cõfestim exuitur: radix tenuis, superuacua.

ADIANTVM à Græcis dictũ, quasi non madescens, quòd semper siccum inueniatur, etiam si aqua merseris, aut si quidẽ madescat, celerrime siccatur: nostri cum Theodoro capillum Veneris appellãt. vmbrosas petras, parietúmque ac fontium aspergines amat, & saxa manantia. duorum est generum, album & nigrum. Album (quod etiam ebenotriches dicitur, quia folia gerat capillis ebeni si-

milia) in Montepessulano plerũque reperitur:cu-ius loco pharmacopolæ nostri vtuntur ea herba quam saluiam vitam appellant, in veteribus parietibus frequentem. Nigrum autem adiantum, pedali consurgit proceritate, folio mollissimo, paruo, coriandri diuisura, filicis effigie, aduersis pediculis, capillaceum ramulum vtrinque circundantibus: colore ex viridi nigricante: sterilis, & flore seminéque vidua, radice ferè nulla.

TRICHOMANES à capilli luxuria dicta græcis, eisdem in locis nascitur quibus adianton: polytrichon vulgo cum Græcis appellata, *du palitry*. coliculis est iunceis, quincuncialibus, statim penè à radice foliatis, fronde rotunda, lenticulæ forma, aduersis inter se pediculis subfusca, sine flore, sine semine.

Claudamus iam Arbustum nostrum spinis & virgultis, aut septo vndique vestito vepribus & dumetis, vnde spinetum aut vepretum possimus appellare.

Spinetum.

Diximus in hortulo, cũ ſepem viuam deſcriberemus, de quibuſdam ſpinis, atque adeo fruticibus, quibus horti frequentiſſime ſepiuntur: nunc reliquas nobis hîc explicare oportet, in Arbuſti clauſura, ab ijs quę frequẽtes ſunt & admodũ vulgares.

Itaque quid batos, cynosbatos, chamæbatos, cynoſrhodos, rubus Idæus, Rhamnus, oxyacãthos, liguſtrum, matiana, ex hortulo noſtro requirito.

Nemini dubium eſt, acanthum Græcis, propriè ſpinam dici, quemadmodum acãthium ſpinulam, ſed tranſlatitiè etiam id nomen mutuatas herbas quas in hortulo deſcripſimus; quarum altera, acantha, vulgo brancha vrſina: altera acanthion, vulgo cardonetus dicitur. Cæterum compoſitæ ab acantha etiam aliæ ſpinæ inueniuntur, claudendis arbuſtis vtiles: quarũ vnam in hortulo notauimus, nempe oxyacantham; alias neceſſe eſt nos hoc loco ſubiungere.

ACANTHA leuce, ſiue leucacantha, hoc eſt alba ſpina, ſeplaſiarijs bedegar, folia fert chamæleonis albi, anguſtiora, candidioráque, ſubhirſuta, ſpinis infeſta: caulem binos cubitos excedentem, craſſitudine pollicari vel eo ampliore, ſubalbidum & inanẽ. Vertici ſummo echinus inſidet, marini non abſimilis, oblongior tantũ & minor: floribus purpureis, in quibus ſemen cnici forma, rotundiuſcu-

lum, noſtratibus minus eſt cognita.

Quam autem vulgus noſtrum vocat albam ſpinam, *aulbeſpine*, certe frutex eſt aculeatus, pruni magnitudine, cortice ligni candido, molli folio, flore albo, odorato, acinis, cum pubeſcunt, viridibus: vbi per maturitatem inoleuerunt, rubris, myrti ſpecie, lineo intus nucleolo. Eos acinos vulgo appellari audiuimus, *des ſenelles*.

TRAGACANTHA, quam hircinam ſpinam Theodorus interpretatur, frutex eſt ſpinæ candidæ non diſſimilis: ſurculis humilibus, robuſtis, late ſe diffundentibus, inter quos frequens coma, ſed breuis, cæcis ſpinis intercurrentibus horrida, quæ ſua fronde contegantur, & candidæ valentéſque rigeſcant: radice lata, ſurculoſa, ſupra terram emergente: qua diſciſſa, ſtillat é vulnere ſuccus, qui coaleſcit in lachrymam. Spina hæc noſtris incognita: lachrymam tamen officinæ norunt, interpollato nomine, *dragaganthum* gummi nunc appellantes.

PIXACANTHVS, hoc eſt buxea ſpina, ſentis eſt virgas habẽs ſubrectas, tricubitales, aut eo etiã ampliores, protinus ab radice multas, rubóque craſſiores: cortex abſcedens, cruentus: radix lata, lignoſa, buxei coloris (inquit Plinius) qua in aqua cum ſemine contuſa in æreo vaſe fit medicamentum quod vocatur lycion.

Lycium autem, Dioſcorides pixacanthon appellat: quoniam in Lycia frequens eſſet, aítque armatam eſſe aculeis arborẽ, ramis trium cubitorũ aut maioribus: quibus folia dẽſa buxo ſimilia: fructus

piperis, niger, amarulentus, læuis, densus: cortex pallidus, radix multiplex, obliqua, lignosa. Tu vero lector ex his elicito quod voles: nobis enim est huiusmodi spina infrequens, & ignota.

Anonis, quæ etiam spina alba cognominata est, vulgo Resta bouis dicta, in agro describetur: nascitur enim culto solo, pingui, & glutinoso, præcipue in segetibus.

POTERION spina, tragacanthã imitatur: large enim fruticat, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, tragacanthę proximis: folijs gracilibus, paruis, rotundis, cortice tenui, spissa lanugine vestito, spinis horrido: floribus herbacei coloris, longis: semine odorati gustus: acri, sed inofficioso: radices agit in altitudinem binum ternúmve cubitorum, firmas, neruosas, quibus proxime terram incisis, lachrymam profundit è vulnere, gummi similem. Eam spinam Galenus neurada appellauit, quòd tusa, præcisis neruis medeatur.

ARIANA spina, ab Aria regione Indis contermina dicitur, tota aculeis horret, ex qua lachryma destillat myrrhæ similis, tum visu, tum etiam olfactu. Cæterum nobis ignota.

ARABICA spina, quæ Aegyptia & Syria dicitur, Dioscoridi spinæ albę similis esse creditur. Arbor tota, præterquam caudice, spinis horret, folijs & germinibus aculeatis, magnitudine spectãda, cujus flos ob elegantiam nectitur in coronas: fructũ fert in siliqua lupino similem: semen lenticulæ refert imaginem. Ex ea sua sponte gummi profluit.

Galenus duo eius ſpinæ genera facit:candidum & nigrum.

SPINAM ceruinã Itali vulgo vocant,rhamni quoddam genus,quod nos vulgo appellamus *du uerprun* vel *bourgeſpine*. Cortex frutici vel arbori, ſubniger & nitidus quaſi ceraſo,intus virens,poſt luteus:lignum extra candidum,cuius interior medulla rubet,eo validos arcus fabricant,fructũ gerit myrti,foris nigrum,intus viridem, ob id ad colorem eum,pingentibus idoneum.

APPENDIX ſpina Plinio dicitur: quoniam baccæ in ea rutilo colore pendeant, appendiceſq; vocentur.hanc inter arbuſculas pixacanthæ & paliuro coniungit Plinius, vtpote cui cum illis quædam germanitas intercedat. An autem frutex ille ſpinoſus,quo viuæ ſæpes conſerunt, appendix ſpina dicatur, non auſim aſſeuerare: quamuis in ea baccæ rutilo colore pendeant, & ob id appendices veteribus nominentur.

PALIVRVS Dioſcoridi, frutex eſt vulgaris notitiæ,aculeis frequens,& ramis ſpinoſus, veluti rubus,durúſque:cui ſemen pingue, & fuliginoſum, quod Afri zuram vocant: plurimus eſt in Africa.

Apud nos(inquit Ruellius)paucis antea annis, frutex inuenitur,qui etiam arboreſcere poſſit, folio per ambitum laciniatim rotundo,molli,ramis modo ſpini (quem album cognominant) aculeatis:baccis rotundis,rubris,myrteis, longe maioribus,guſtu,iucundo,qui & vinum ſuauitate ſua cõmendet.Qui colunt in hortis, veluti alienigenam

arborem, myrobalanum appellant. Putat autem esse Ruellius paliurum Africanã, eam præsertim, quæ non siliquetur.

Est & apud nos fruticis genus, quo sepes tam viuas quam structiles rustici stipant: qui, foliorum vice, spinarum armatur vallo, florémque luteum gerit, siliquam breuem, in qua pauca semina, lata, clauduntur: rura nostra iuncum marium vocant, *du ioncmarin.*

SILYBON, spina est lata, folijs chamæleonti candidæ similibus: quæ recẽs nata coquitur, & cum oleo ac sale manditur.

His vero, ceu melioribus, & magis ingeniose atque erudite conscriptis fruãtur velimus iuuenculi nostri: interea dum Syluam & Pratum atque adeo Agrum apparamus: in quibus reliquas herbarum & arborum species explicare summa cum diligentia conabimur.

Index dictionum

HVIVS LIBELLI, IN QVO prior numerus, paginam: posterior, lineam notat.

A

Acantha 38.18
Acãtha leuce. 38.18
Acãthos, Acãthiũ. 38.12
Adiãtum album vel nigrum. 37.22
Aegyrinon vnguẽtum. 18.17
Agnos. 8.15
Agnus castus. 8.7
Agreste piper. 8.27
ἄιγειρος. 18.26
Alga. 32.10
Ambre, saulx. 8.3
Ambre gomme. 19.11
Anagallis. 34.26
Anonis. 40.5
Appendices. 41.18
Arbores fructiferę. 3.13
Arbores vitiferæ. 4.29
Arbustare. 5.8
Arbustum. 4.17
Arbustũ Gallicum. 5.10
Arbustum Italicum. 5.4
Attinia vlmus. 16.21
Aulbespi 40.5

B

Baccæ lauri. 24.15
Baccæ myrtinę. 25.21
Baccæ rusci. 27.25
Baccalia laurus. 22.11
Balsamita 34.12
Bechion. 36.9
Bedegar. 38.27
Berle. 34.19
Bislingua. 22.10
Bonifacia. 22.5
Bourgespine. 41.5
Branca vrsina. 38.13
Brya. 18.14
Brion arborum. 32.26
Bryon herba. 33.12
Bryon muscus. 36.15
Bryon Thalassion. 32.8
Bryon vna populi. 33.2
Bruscus. 26.16
Bursault. 7.19

C
Capillus Veneris. 36.26
Cardamine. 34.27
Cardonetus. 38.16
Carpesium. 28.3
Cauda equina. 9.3
Cedrides 24.13
Ceruina spina. 41.3
Chamædaphne 26.29
Chamæmyrsine. 27.15
Chamæplatanus. 30.7
Chrysophoros. 19.10
Cyssimbrium. 35.25. & 31.4
Cnipes. 16.14
Cresson alenoys. 34.20
Cressõ de caillay. 34.28
Cressõ de iardins. 30.18
Cubebę, combebę. 27.29
Curaige 35.28
Cusins. 27.9
Cusini culinatij. 27.9
D
Daphne. 20.24
Daphne Alexandrina. 23.8
Daphne herba. 23.8
Daphnides. 24.16
Daphnitis. 23.29
Daphnoides. 23.18
Dragaganthum. 39.14
Dryophonos. 27.2
E
Ebenotriches. 35.29
Ehuisetum. 9.3
Eugenia laurus. 20.23
Eupetalos. 23.19
F
Figadella. 30.14
Flamma. 9.8
Fonticulus. 30.22
Franc osier. 8.3
Fructiferę arbores. 3.13
G
Grains de laurier. 24.17
Gũmi draganthũ. 39.18
H
Hepatica. 32.14
Herbæ fontium. 32.1
Herba fontalis. 31.31
Hydropiperi. 35.16
Hippoglossion. 22.20
Hippuris. 9.3
Housson. 26.17
I
Italicum arbustum. 5.4
Itea. 6.26
Ioncmarin. 42.8
Iuncus marinus. 42.8
L

Lauer 34.2
Laureola. 23.28
Lauretum. 20.19
Lauri baccæ. 24.15
Laurier. 20.24
Laurus. 20.24
Laurus Alexandrina. 22.17. Augusta. 22.7. baccalia.22. 11. Cypria. 22.2. Delphica.21.16. Humilis.23.30. Idea.22.19. Lapidea 23.14. Latifolia.22.4. Mas 21.9. Regia.22.7. Syluestris. 22.4 Spadonia.13.16. Sterilis.21.9. Tenuifolia.22.2. Tripos.21.21. Triumphalis.21.27.
Laurinum oleum.24.21
Leucacantha. 38.18
Libyca populus. 19.18
Lichen. 34.15
Lycion. 39.26
Lygon. 8.20.& 31

M

Martidanum. 27.16
Menta aquatica. 31.6
Metamorphosis salicis nymphæ ĩ arborẽ. 9.1
Militaria fluuiatilis. 36.18
Myrobolanus. 37.16
Myrsine. 25.25
Myrcaceũ vinum.2ã.14
Myrtatum. 25.23
Myrtetum. 25.1
Myrtæ. 27.21
Myrrhine. 25.25
Myrtidanum. 27.15
Myrtides. 27.2
Myrtinum oleum. 28.2
Myrtus. 25.25
Myrtus candida. 26.6 coniugalis.26.8. exotica.26.11. nemoralis.27.1, nigra.26.7. syluestris.26.14. tarentina.26.10
Molle siler. 37.5
Murte. 25.26
Muscus arborum. 32.3
Muscus in floribus.30.6
Muscus fontium. 32.3

N

Nasturtium. 30.17

Nasturtium aquaticum. 33.25
Nerprum. 41.5
Neuras. 40.32
Niger vitex. 8.28

O

Obierus, opierus. 20.13
ὀλεσίκαρπος 6.28
Oleum laurinum. 24.21
Oleum myrtinũ. 28.15
Opulus. 20.3
Oriptelea. 16.16
Ormaye. 16.6
Orme. 16.8
Ormeau. 16.19
Osier. 7.24
Oxymyrsine. 26.14

P

Paliurus Africana. 42.2
Paliurus. 43.5
Pampelion. 18.23
Pas dasne. 36.12
Perticaria, vel perticalis salix. 7.14
Peruence. 24.14
Phellaudrion. 36.1
Pinus aquatica. 35.1
Piper agreste. 8.27
Piper aquatile. 35.16
Pixacanthus. 39.20
Platanetum. 25.16
Platanus. 29.27
Platanus pumila. 30.7
Polygonũ fœmina. 35.1
Polytrichon. 37.12
Politry. 37.12
Populus. 17.20
Populetum. 17.10
Populus alba. 17.25
Populus Alpina & Lybyca. 19.18
Populus nigra. 18.25
Populneum vnguẽtum. 18.17.
Potamegeton. 35.9
Poterion. 40.9
Ptelæa. 16.8

R

Regia laurus. 22.7
Resta bouis. 40.6
Rumpi, rumpotinum, rumpotinetum. 5.15
Ruscus. 26.15

S

Sabina salix. 7.25
Salicastrum. 9.6
Salictum. 6.1
Salix. 6.23
Salix Amerina. 7.25. &.8.4

Salix candida. 7.15
Salix equina. 9.1
Salix Gallica. 7.18
Salix Græca. 7.21
Salix perticalis aut pertica ria. 7.14
Salix Sabina. 7.25
Salix viminalis. 7.23
Saluia vita. 37.2
Samara. 16.11
Saulſaye. 6.7
Saulx. 6.23
Senelles. 39.10
Seminalis. 35.2
Semīariũ vlmorũ. 15.24
Siler aquaticum. 35.28
Silybõ. 42.10 Siõ. 34.20
Syria ſpina. 40.22
Siſymbrion. 34.1
Spina Aegyptia. 40.18
Spina alba. 38.21
Spina appendix. 41.11
Spina arabica. 40.23
Spina Ariana. 40.21
Spina buxea. 49.20
Spica ceruina. 41.3
Spina hircina. 39.10
Spina Syria. 40.23
Spinetum 38.1
Splanchnos, 32.16
Stratiotes potamios. 35.13
Succinum. 19.9

T

Taxa. 22.14
Tinus. 22.4
Traduces. 5.14
Tragacantha. 39.10
Tremble. 18.4
Tremula. 18.4
Trichomanes. 37.9
Tripos laurus. 21.21
Triũphalis laur9. 21.27
Tuſſilago. 36.8
Tymbrea. 34.11

V

Viminalia. 8.1
Viminalis ſalix. 8.15
Vinca peruinca. 24.5
Vinum myrtites. 28.10
Vitex. 8.5. &. 15
Viticis duo genera. 8.21
Vitiferæ arbores. 4.29
Vlmarium. 15.24
Vlmus. 16.8
Vlmus Attinia. 16.21
Vlmus cãpeſtris. 16.16
Vlmus Gallica. 16.20
Vlmus Italica. 16.29
Vlmus marita, 16.22

Vlmus montana. 16.15
Vlmus ſiccana. 16.28
Vlmus vernacula. 16.20 &.29
Vnguẽtum Aegyrinon, & populneum. 18.17
Vngula caballina. 32.30

Z

Zura. 37.9